



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Procemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



DE ADEPTIONE VIRTVTVM

LIBER TERTIVS.

PROOEMIUM.

DILIGENS ac negotiosus agricola, cuius scopus est, copiosos fructus in granario recondere, ex quibus toto anno seipsum suisque sustentet, non solum curat, terram aratro profcindere, semes anellere, & à lolio zizaniisque purgare, verum & fecunda semina spargere, sine quibus, humore putrefactis, & solis calore foris, nunquam poterit ex terra, licet bene culta vomerique subacta, frumentorum abundantiam quasi in mercedem assumpti laboris accipere. Ita prorsus vir iustus, qui meritis congregandis incumbit, quibus pascatur in terra, & ditescat in caelis, non tantum nititur terram cordis sui à peccatis vitisque mundare, & ex ea per studium mortificationis, motus illicitos impuroloque reiicere, sed & lectissima grana virtutum inserere, quæ fructus optimos sanctorum operum faciant, quibus in caelesti patria seipsum abundè reficiat. Postquam ergo legens atque considerans, alteram partem huius agriculturalionis absolvit, quæ in peccatorum depulsione, in vitiorum extinctione, & in affectionum compressione consistit, æquum est, vt ad alteram transeat, in virtutum assequutione positam, & quomodo illa inserenda sint, quomodo ager cordis simo propria diffidentia sterocotandus, & quomodo rigandus, addiscat. Hanc partem nunc benignissimo Dei auxilio fidentes, scribendam aggredimur, cuius gratia illam primam, prout valuimus, stylo & commentatione tractauimus. Neque enim ad hoc, peccato, & vitis, & prauis affectionibus morimur, vt solum mors ista non horribilis, sed amabilis certè nos teneat, immò vt mens nostra ex hac morte, quæ vitam carnalem perimit, in meliorem vitam, nempe in caelestem & spiritalem, atque aded in vitam virtutum asurgat. Sanè quidem id operata est mors filij Dei, qui sicut & mortuus est, & resurrexit, ita & peccata nostra per suam mortem occidit, vt illis extinctis, nos ad meliorem vitam, quam in Adamo amiseramus, reuocaret. Nam & peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.] Vita iustitiæ, id est, omnis virtutis ac sanctitatis, finis mortis peccati & omnis abnegationis est, sine qua omnis abnegatio, vniuersorumque peccatorum depulsio, si ab illa vita saltem cogitatione seernatur, necesse est manca & imperfecta permaneat. Christo namque passo in carne] (vt etiam scriptura ait) & vos eadem cogita-

A tione armamini: quia qui passus est in carne, desuit à peccatis. Vt iam non desideris hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Qui, inquam cum Christo per vitæ eius imitationem peccatis & carnis concupiscentiis est mortuus, ad hoc illis mortuus est, vt quod vitæ superest, Domini voluntati se accommodet, & secundum leges sanctissimas virtutum viuat. A morte profectò transit ad vitam, vt vitiorum interitus vniuersa sit virtutis exortus. Mortui estis, inquit Paulus, loquens cum his qui nati sunt spiritu, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:] vt si homines vident vos abstinere iam à peccatis, aspiciant quoque vitam illam charitatis & virtutis, aut saltem illam coniectura assequantur, quia cum spiritualis sit, corporeis oculis later, & quasi reposita est in Christo & in Deo, ex cuius gratia tota pender, & ibi custodita, nisi ex vestra culpa, non excidet.

B Huic duplici iustitiæ parti, quæ ex multis minoribus partibus conflata est, optimè conuenit, vt scala caeli vocetur, seu ascensus in caelestem patriam dicatur. Sicut enim scala plures habet gradus, non confusè sed ordinatè dispositos; immò etsi longa sit, varios habet ordines graduum, quorum vnus rectus à paupimèto incipit, & alius quasi ex transecto se protendit, & alius superiora cœnacula attingit; ita iustitiæ partes ordinatissime inter se dispositæ, & in varios graduum ordines distributæ, pulcherrimam scalam patriæ caelestis efficiunt. Hanc sanctus iacob in domo Dei & in loco sancto, in quo Dominus habitat, per reuelationem aspexit. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Quis neget hanc scalam, scalam esse virtutum? Certè Laurentius Justinianus, satis à Deo illuminatus, hanc in illa esse delineatam agnouit. Qui exponens illud Cantorum: Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi,] hæc ait: Poma quidem vetera, habitus; noua verò, actus dicit esse virtutum. In his duobus quasi in duplici ligno contexitur scala virtutum, per quam ad perfectionem conscenditur. Hæc procul dubio per illam scalam, quam in somnis contemplatus est sanctus iacob, figurata fuit, in qua videlicet ascendentes & descendentes Angelos, ipsumque Angelorum Dominum scalæ vidit innixum.] Hæc igitur scala firmiter stabilita est super terram, quia cor nostrum, quod suæ naturæ relictum, terrenum est, pedibus suis, virtutum nempe actibus & ha-

Colof. 3.

Gene. 28. 12.

Cant. 7. 13. Iust. li. 2. de scilicet anima interitu, ante finem.

1. Petr. 2. 24.

1. Petr. 4. 1.

bitibus

Hebræi.
3.

bitibus calcat, atque suppeditat. Cælum summitate contingit, quoniam præmium eius & quasi vertex, merces est regni cælestis. Dominus innititur scalæ, non quidem quòd ab ea sustentetur, qui portat omnia verbo virtutis suæ, sed quòd ipsam scalam omnesque sustentet. Iusti denique, homines quidem naturâ, sed Angeli puritate, per eam ascendunt atque descendunt, quia nunc his virtutibus student, quibus in Deum itur, nunc verò illis, quibus proximorum utilitas quaeritur. Huius scalæ tres sunt ordines graduum: infimus, terræ adhærens, à malo discedit; secundus & medius virtutem moralem complet: supremus Theologicam virtutem comprehendit. Ille primus ex multis gradibus, quos supra in recessione à malo numeravimus, aptè compingitur. Quem ascendens anima, graua peccata fugit, leuia pertimescit, portenta vitiorum extinguit, vires suas affectusque componit, & tentationes, ad malum impellentes, euincit. Secundus ex quatuor virtutibus moralibus, prudentia, iustitia, fortitudine, & temperantia, & ex reliquis, quæ illis annectuntur, pulcherrimè coalescit. Tertius verò ex tribus virtutibus Theologicis, fide, spe, & charitate, & ex nonnullis donis, quæ illas comitantur, videtur esse conflatus.

Psal. 83.
6.

Qui in hac scala cæli, primum iam ordinem graduum ascendit, beatus erit, si se ad alios conscendendos accingat. Beatus enim vir, ô Domine, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Expende nunc mihi scalam & gradus eius in corde, & cum recordaris visam esse à Iacob, stantem super terram, intelliges, terram istam non aliam esse quam humanum cor. Ipsum cor est vallis lacrymarum, vt Augustinus manifestè interpretatur: quoniam in eo ascendentibus, non panis risus atque lætitiæ, sed panis doloris atque laboris, panis gemitus & plorationis eden dus apponitur. Ipsum cor est locus, quem homo, auctore Deo, sibi posuit atque constituit, vt in eo habitet, & habitando, scalam virtutis ascendat: quia extra cor manentibus, & per vana & inutilia aut actione aut cogitatione vagantibus, ascendendi & proficiendi negatur occasio. Ascensiones autem vel gradus huius scalæ, virtutes sunt. Vnde Gregorius ait: Connallis humilis locus est, & peccator quique dum se in lacrymis affligit, in corde per ascensum virtutum proficit. Id autem verba psalmi sequentia significant: Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Quibusnam indicitur ista profectio? Equidem puto, quia iustis. Sicut enim impij de iniquitate in iniquitatem corruunt; ita iusti de virtute in virtutem progrediuntur. His datur à legislatore Christo, benedictio gratiæ, quia propriis viribus tam longam viam ambulare aut inchoare non possunt. Prorsus benedictio, quæ magnum est donum, & cumulus multorum bonorum, quæ iustos benedictos efficit, quæ in æternam illam benedictionem, omni malo alienam, perducit. Hac benedictione ditati procedunt de vna virtute in aliam, quoniam vna adepta, aliam quaerunt, & vna comparata, aliam suspirant, donec omnium possessores fiant. Nam si diuites huius sæculi, nunquam diuitiis & honoribus ad mensuram sui desiderij replentur: iusti, qui sunt diuites zui futuri, nunquam virtutibus & donis cælestibus satiantur, sed quibuscunque quaesitis, alia maiora concupiscunt. Semper igitur gradus huius scalæ cælestis ascendunt; semper de virtute pergunt in virtutem, vt quibus nullus est finis desiderij proficiendi, nullus sit finis ambulandi. Vel, vt Augustinus legit, ibunt de virtutibus in vir-

Greg.
hom. 19.
in Ezechiel. 44.

Psal. 83.
8.

tutem, quia comparatis virtutibus vniuersis, non se fatis diuites nec satis felices putabunt, sed adhuc avidissimè pergent in virtutem contemplationis Dei. Ab his virtutibus, inquit, imus in illam virtutem. Et quæ erit illa virtus, nisi solus contemplationis Dei? Necessaria ibi non erit ista prudentia, vbi nulla mala occurrunt, quæ vitentur. Sed quid putamus, fratres? Non ista iustitia, vbi nulla erit cuiusquam indigentia, cui subuenire debeamus. Non ista temperantia, vbi nulla erit libido refrenanda. Non ista fortitudo, vbi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus huius actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, quæ contemplerur Deum, sicut scriptum est: Manè astabo tibi, & contemplanbor. Hæc ille. Qui & putat hunc sensum ex verbis sequentibus elici: videbitur Deus deorum in Sion. Ex virtutibus enim, quibus recta rectè operamur, ibimus in contemplationem, quia videbitur Deus deorum, id est, Sanctorum. Nam ego dixi, dii estis. Et videbitur eum non iam in exilio, sed in patria; non in ænigmatè, sed facie ad faciem; non in Ægypto, sed in Sion.

August.
ibid.

Psal. 55.

Psal. 81

6.

In superioribus, priorem partem huius scalæ descripsimus, & quibus cordis gressibus eam emetiri valebimus, vt eumque explicuimus, nunc instituti nostri est, edocere quoniam modo aliaque partes, quibus omnes virtutes, tum morales, tum Theologica continentur, sine à nobis ascendenda: quod tres, qui supersunt, huius secundi voluminis libri, Deo dante, præstabunt. Consultò autem dicimus, nos modum ascendendi & rationem virtutis acquirendæ esse exposituros; quia non aggredimur virtutes omnes fusè tractare, quod immensi laboris & prolixitatis esset, & ab aliis nouimus satis copiosè elaboratum, sed tantum viam ac rationem acquirendi virtutes exponere, quod à multis scimus fuisse prætermisum. Hæc autem via (vt inferius manifestè patebit) intelligi, aut exponi non poterit sine aliqua cognitione singularium virtutum. Necessèque erit ipsarum naturas & actiones attingere, non quasi id ex professo tractemus, sed quasi partem quandam exponendi instrumenta acquirendarum virtutum, doceamus. Volumus ergo, ô lector, docere te, quo pretio, à quo, & quo pacto gemmas pretiosissimas, nempe virtutes, mercaberis: Volumus etiam aperire viam, multis profectò clausam & inuiam, qua pulcherrimam virginem, nempe virtutem, cuius amplexus non turpat, sed mundat, non mentem obtenebrat, sed illuminat, in sponsam assequeris. Volumus gradus iustitiæ & sanctitatis exponere, quibus primum in atria felicitatis æternæ, nempe in puritatem cordis, & postea in ipsam felicitatem ascendes. Nonne dicis cum Dauide: Quis deducet me in ciuitatem munitam? Quis deducet me vsque in Idumæam? Quis, inquam, mihi tribuat, vt animam meam, prorsus terrenam & luto adhærentem, expugnem, & per virtutum studia, Deo, à quo desinuerat, meo Creatori subiciam? Quis mihi concedet, vt post expugnationem animæ meæ, in ciuitatem munitam, id est, in cælestem Hierusalem, vt interpretatur Beda, quæ est ciuitas munita, ad quam nullus hostis accedit, & à qua nullus ciuis recedit, tandem aliquando conseruandam? Sed audi. Deus qui te antea repulit, cum delinquebas, suscipiens te, per hæc media, quæ scripta tibi tradimus, deducet te, vt teipsum in hac vita, & beatitudinis claritate in alia possideas. Nonne ais cū sanctis illis mulieribus: Quis reuoluet nobis lapidem ab hostio monumenti? Quis nimirum difficultatem ingrediendi in proprium cor dimouebit, vt Christum virtutum atomatibus vngam atque deli-

Psal. 59.
12.

Beda.
ibid.

Marc.
16. 3.

niam

nam? Quis impedimenta huius placiti obsequij impendēdi depellet? Sed hæc quæ subiciemus, attentè lege, & multo magis actione cõple; nam si Dei gratia adiutus impleueris, te difficultatem vicisse & calasse reperies. Dauid certè Amalecitem, qui ipsum deduxit ad cuneum hostium suorum, ex quorum manibus vxores suas & substantiam extorsit, vita donauit, & (vt credibile est de liberalissimo principe) magnis præmiis affecit. Sed ego deducam te non in acies ho-

astium, à quibus forsitan capieris, sed in aciem virtutum omnium, in qua te ipsum per delicta & imperfectiones perditum inuenies, & celestibus diuitiis, quas communis pater Adam perdidit, cumulaberis. Hoc tantum præmium requiro, vt non superbe qualiscensor & iudex, sed modeste vt auditor discendi audis legas, vt quæ legeris, actione complere cures, & dum impleueris, emolumento, & exultatione, & præmio ex verâ virtute proueniente fruaris.

1. Reg.
30. 15.



PARS PRIMA

Huius libri de substantia & excellentia Virtutis.

QVIA tamen instrumenta cuiuscumque artis, qualia futura sint, ex cognitione operis, quod ars illa prestat, omnino dependet; ideo volentibus nobis instrumenta artis spiritualis inquirere, quibus virtus ipsa est addiscenda & actione formanda, operæ pretium est, ab ipsa virtute, quam discere & exercere intendimus, tractationem inchoare. Dicemus itaque primò, quid virtus sit quantaque eius nobilitas atque præstantia, vt ea cognita, qua ratione mentibus nostris inferenda sit, quibusque instrumentis efficienda, melius & facillius capiamus. Hæc etiam prima tractatio, non solum cognitioni, sed etiam affectui deserviet; cognitio enim à nobis virtutis pretio, eiusque decore perspecto, voluntas non poterit eius amore non capi, & ad illius studium incitari. Id solum curandum nunc est, vt imperitia sermonis nostri dum illustrare virtutem vult, ei tenebras non offundat. Quod ille daturus est, cuius sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. O igitur, tu Domine, qui ex ore infantium & lactantium laudem perficis, & per incipientes etiam, vt omnes te loquentem intelligant, perfectorum sapientiam loqueris: illumina mentem, excita affectum, & versa stylum meum, vt verâ de virtute doceam, & dum aliis prodesse studeo, ex eo quod de tua largitate pro illis accipio, me ipsum satis famescentem quoque reficiam.

De Virtute in generali, Quid sit.

CAPVT I.

QVI in re magni momenti volunt punctum veritatis attingere, & in ipso opere non errare, solent viros sapientes accersere, & peritos illius artis, ad quam pertinet opus, vocare, vt auditis illorum sententiis meliorem eligant, aut ex omnibus aliquid colligentes, operatum opus pulchrius & absolutius efficiant. Sapiunt quidem, dum ita faciunt, quoniam documentum sapientis Salomonis amplectuntur: Vbi non est gubernator, populus corrumpit; salus autem, vbi multa consilia. Sicut enim populus, siue in quiete pacis, siue in belli discrimine pessum it, gubernatore & consiliis destitutus, stat verò, & floret, & crescit optimo rectore, & salutaribus consiliis gubernatus: ita quaeres & quodque negotium, præter sapientium consilia gestum, perditur, & secundum illa in opus educatum facillimè propagatur. Nos igitur qui virtutis naturam inuestigare cupimus, eiusque notionem aliis tradere incipimus, hoc saluberrimum documentum sequamur; & quid alijs de virtute senserint, quæ ratione eam definierint, prius explicemus, vt vel vna sapientissimorum virorum sententia

Bnos doceat, vel ex singulis aliquid assumentes, vna à nobis collecta descriptio, tum nos, tum legentes erudiat. Summus Philosophus Aristoteles, qui in exponendis rebus ad mores pertinentibus fuit admirabilis, in tradenda notione virtutis seipsum excessit, & quasi suum acutissimum ingenium post se reliquit. Sic enim virtutem definiunt: Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Cuius iam eximium elogium elucet. Quid namque optabilius homini esse potest, quam vt ipse bonus sit, & eius opera bona reddantur? Certè quidem omnia in suo genere bona esse percipiunt, adeo vt res etiam inanimes in hoc naturaliter elaborent, vt seipfas in suo loco constituent, & in eo se seruent, possant, atque promoueant. Quid ergo debet optare homo, nisi virtutem, qua bonus homo redditur, quæ à fœditate nequitia liberatur, qua suorum operum bonitatem & pulchritudinem adipiscitur? Relictis verò alijs huius Philosophi descriptionibus, quæ in idem incidunt, Basilii vitium ac virtutem simul in hunc modum describit: Hæc est vitij definitio, præuis & à præceptis Domini abhorrens vsus earum facultatum, quæ boni causa data nobis à Deo sunt. Quemadmodum contra virtutis, quæ ex Deo est, eandem vsus, bona adhibita mente, præceptis Domini conueniens. Ex qua etiam magnus nobis vitij metus

Arist. 2.
Ethicor.
c. 6.

Basil. reg.
2. in. dis.
pne.

incutitur

Proem. 11.
14.